De

RUBEOLA

QUÆDAM.

Dissertatio Inauguralis

AUG. STRÄTER,
Doct. Med., Chirurg. et art. obstetr.

WIRCEBURGI, MDCCCXXXII.
Typis F. Bauerianis.

Patri optimo dilectissimo

B. TH. STRÆTER

et

Professori illustrissimo maxime venerando

J. L. SCHOENLEIN,

hasce studiorum primitias

pio gratoque animo

d. d. d.

auctor.

L. B.

In quaestionem de Osteomalacia et Rhachitide, respectu praesertim pelvis foemininae habito, quum per decem fere menses incubuissem, subito, opere interrupto ad aliam rem vertere mentem coactus sum.

Itaque argumentum, cujus disquisitio facilior esse videbatur, investigare placuit. Anno quidem millesimo octingentesimo tricesimo secundo, tempore aestivo,

hac in urbe commoratus, pluries Rubeolas observandi, sub forma simpliciore decurrentes, habui opportunitatem. -- Tam ob temporis exiguitatem, tam ob experientiae angustias, pauca, quae exaravi, benevole, lectores, excipiatis!

RUBEOLAE — ROSEOLAE — ROSALIA.

Istius morbi notionem ac naturam ab omni inde tempore non satis clare et distincte medici perspexisse videntur. Alii quidem per Rubeolas exanthema pustulosum, alii maculosum, alii bullosum intellexere. Multi autem scarlatinae modo, modo morbillorum, alii scarlatinae tantummodo varietatem esse Rubeolas contenderunt.

Heimius (Hufeland's und Himly's Journal März 1812 p. 60 etc.) qui sententiam posteriorem

sequitur — specificum praesertim odorem talem esse censens, qualem in scarlatina se observasse confirmat — duplex esse Rubeolarum exanthema asserit: aut enim esse maculas, magnitudine grani milii dissecti, peripheria finibus non satis certis circumscripta, e medio largo rubore suffuso ad omnes partes pallescentes, leni decursu morbi sparsas, acri autem crebriores et majores (ad lineam unam et dimidiam vel duas) tum, cuti intermedia plane rubescente, die secundo, tertio sive quarto veri exanthematis scarlatinosi faciem induentes; aut maculas esse morbillis non insimiles, minus autem rubras et ampliores (lineae fere unius et dimidiae diametrum explentes), irregulares, distinctis finibus circumdatas. Illae Rubeolae, quas Zieglerus descripsit (Beobachtungen aus der Arzneiwissenschaft, chirurg. und gerichtl. Arzneikunde. Leipzig 1788 Seite 81 etc.) eandem quam modo commemoravimus, exanthematis speciem prae se ferunt. S. G. Vogel et alii scriptores incertam Rubeolarum descriptionem afferunt, quae unius morbi notioni minime congruat. Minime distincta quoque Willami Rubeolarum, et medicorum Italicorum Rosaliae definitio est, quippe

quae exanthemata cum variis, immo impetiginosis eruptionibus saepius conjuncta conspiciantur.

Quibus tam variis, partimque vagis et confusis Rubeolarum descriptionibus enumeratis, Schönleinii et planam et perspicuam istius morbi definitionem in medium proferre, operae praetium esse, existimo. Medicus ille expertus Rubeolas formam esse judicat hermaphroditicam e morbillis scarlatinaque congenitam, cujus natura in symptomatibus cuticulae et membranarum mucosarum inter se repugnantibus satis bene cernatur; ea quidem ratione, ut, si membranarum mucosarum symptomata naturam scarlatinae exhibeant, Rubeolarum exanthema ad morbillorum speciem inclinet; illa vero symptomata, si morbillis conveniant, scarlatinae similitudinem ostendat.

Inde apparet, quomodo et varii auctores varie Rubeolarum epidemias, et praesertim Zieglerus et Heimius sententias supra commemoratas retulerint.

Morbus stadia quatuor amplectitur:

I. Stadium prodromorum;
II. — eruptionis;
III. — florescentiae;
IV. — desquamationis.

I. Stadium prodromorum, sive membranarum mucosarum symptomatum.

Symptomata ista aut morbillorum aut scarlatinae sunt. Si morbillorum sunt: tunica narium mucosa irritata intumescit, e naribus profluvium, vocis raucitas, tussis sicca accedit. Oculorum affectio illa specifica, quae symptoma morbillis peculiare est (ophthalmia morbillosa) in rubeolis immo morbillis simillimis deest (momentum diagnosticum); at, membranae mucosae phaenomena, si scarlatinae instar incedunt, symptomata anginosa: rubor tonsillarum, uvulae palatique mollis intumescentia, deglutiendi difficultas aggrediuntur.

Quibus, vel scarlatinae, vel morbillorum symptomatibus, febris se conjungit, quae naturam ery-

sipelaceam ostendit: lingua obducta, sapor insipidus et amarus, vomituritiones, pulsus irritatus, celer, plerumque mollis; in febri synochali subdurus. Hoc stadium plerumque per duos aut tres fere dies perseverat; saepius autem jam post horas viginti quatuor exanthema erumpere Heimius contendit.

II. Stad. eruptionis. Exanthema totam simul cuticulae superficiem corripit.

a. Tunicae mucosae symptomata si scarlatinae naturam imitantur, ab initio exanthema morbillis simillimum est. In cuti enim maculae (Stippchen) emerguntur, plus minusve rotundae, ex rubro subnigrae, sub digiti prefsu evanescentes, plerumque disparsae, interdum vero accumulatae, et tum in largiores maculas confluentes. Quod autem exanthema a morbillis, si accuratius disquiras, facillime distinguendum; neque enim lenticulares, uti in morbillis maculae sunt, neque in illarum centro ulla cutis nodula, ullus pilus conspicitur; neque e media

macula ad peripheriam, ut in morbillis, sed e peripheria ad centrum rubor suppreſsus redit; nec non acida, qua exanthema morbillosum excellit, reactio deest.

b. At vero, membranae mucosae symptomata, cum primo stadio morbillorum prae se ferunt indolem, tunc exanthema in scarlatinae naturam transit: nam denticulatum est, et e rubro subnigrum, neque super cuticulam elatum, ruborque macularum digiti preſsu exstinctus, e peripheria ad centrum refluit. Jam intra horas viginti quatuor minutae in maculis papulae, scarlatinae miliari simillimae apparent. Verum tamen symptomatum, quae primo stadio morbillos comitantur, catarrhalium praesentia facile a scarlatina diagnosis constituenda. Tum eruptione perfecta minime febris ceſsat, sed tantummodo imminuitur. Hoc stadium per viginti quatuor horas decurrit.

III. Stad. efflorescentiae.

Jam exanthemate plane evoluto, tunicarum quidem mucosarum symptomata relanguescunt, fe-

bris autem perseverans, horis tantum matutinis remittit, ad noctem exacerbescit; aequales in exanthemate vicifsitudines intercedunt, quod, sub fine saltem stadii vespere candido rubore viget, matutino autem tempore pallescere coepit. Hoc stadium sex dies vel octo durat; saepius autem brevius percurrit.

IV. Stadium desquamationis.

Exanthemate, quod stadio exeunte tertio, sub noctem modo pallidum fuit, nunc denique penitus deleto, cuticula exanthemate obducta ita desquamatur, ut modo furfuraceae, tanquam in morbillis; modo membranosae, nt in scarlatina fieri solet, epidermidis squamae decidant; saepius tamen desquamata ad instar membranarum formata sunt. Febris despuamationis initio plane cefsat.

Aetiologia. Natura hermaphroditica insignes esse Rubeolas, ipsa exanthematis historia comprobatur. Mira quoque, quod ad hanc rem pertinet, illa est epidemia, quae anno millesimo octingentesimo vi-

cesimo secundo dominabatur. Tunc temporis ad Albis ripas scarlatina, ad Rhenum vero morbilli grassabantur; in regionibus autem inter haec flumina sitas, praecipue autem ad Salae ripas, Rubeolae regnabant. Itaque Rubeolarum epidemiae raro solae, morbillis vel scarlatina non afsociatis, observantur; sed plerumque aut praecedunt aut sequuntur.

Utrum vero contagiosus sit morbus, an non, scriptores inter se dissentiunt; alii quidem, ut Pucheltus, negant contagium; alii confirmant, ut Heimius et Raimannus. Vim in Rubeolis non esse contagiosam ex hermaphroditica istius morbi natura elucere videtur. Ceterum homines semel tantummodo Rubeolis affici solent, quod, si verum in cuti exanthema effloruerit, Heimius quoque afsentitur. Illud autem, ubi defuit, minime Rubeolas exstitisse credendum. Rubeolae autem a morbillis vel scarlatina nullo modo tuentur; quare satis inter hos morbos differentia apparet. Infantes quidem multo frequentius quam adultos corripiunt; tamen neque istis, neque senibus parcunt. Plerumque epidemice dominantur.

Exitus morbi.

I. In valetudinem.

II. In morbos secundarios. Desquamatione turbata, facile hydrops exoritur. Si quidem systema quoque lymphaticum morbo affectum erat, blennorrhoeae existunt; ubi habitus scrophulosus, ibi acutae scrophulae apparent, quae in inflammationem et suppurationem transeunt.

III. In mortem Rubeolae tantummodo exeunt, cum in exanthemate scarlatinoso stadio eruptionis symptomata nervosa aggrediuntur: tum in cuti calor mordax, ariditas, exanthematis eruptio retardata, pulsus frequentissimus, vultus deformis, postremo deliria et sopor invadunt.

Prognosis plerumque non infausta; medici permulti levem esse morbum opinantur; immo epidemias illas, quae pro malignis descriptae sunt, non Rubeolas fuisse, nonnulli contenderunt. Tamen Rubeolarum epidemiam a Heimio et Formejo descriptam, illamque, quae sub fine saeculi decimi sexti Parisiis grassabatur, perniciosisimas,

non adnumerandas ad Rubeolas esse, vix in dubium vocari potest; a Rubeolis vulgo majus, quam a scarlatina periculum creari, Heimius judicat, qui, ubi post digiti impressionem rubor in maculas celeriter redeat, hic faustam semper esse prognosin constituendam ait, quod satis probum. Faustissimam caeterum prognosin in simpliciore, quam supra descripsimus, forma reddere licet; infaustiorem vero in forma synochali, infaustissimam in nervosa et praesertim in septica.

Therapia. Morbi evolutio a medico non turbanda; curandum potius, ut, quae ratio in quovis exanthemate acuto habenda est, stadia sua Rubeolae tute percurrant. Et febris tunicarum mucosarumque statui et exanthematis decursui, et variis praecipue stadiis curatio convenire debet. Primo stadio, ubi febris simplex, cura sit exspectativa, diaeta febris irritationibus contraria; item alvi secretiones aërisque temperatura (quae quindecim vel sedecim graduum R. sit) respiciendae. Ubi febris ad synocham magis inclinat, salia media (nitrum cum magnesia sulphurica); ubi au-

tem pulsus perdurus et symptomata catarrhalia adsunt, potiones tepidae, mucilaginosae; ubi tussis vehemens, oleoso — mucilaginosa cum narcoticis conjuncta (opium autem ob timendam cerebri irritationem infantibus non porrigetur); contra inflammationes antiphlogistica validiora; contra symptomata anginosa gargarismata demulcientia praescribenda; in angina vehementi hirudines ad collum ponendae sunt.

Stadio eruptionis omnis res in eo vertitur, num febris symptomatibus cessantibus, justo ordine exanthema efflorescat; an illis increscentibus, retardetur; in quo; statu maligno, ubi cutis ardens simul et arida, pulsus frequentior, mens obtusa est, vehementes autem ad caput pectusque congestiones non adsunt, frigidae aquae suffusiones proderint, ita quidem, ut aegrotus, in balnearum solio insidens per sextam fere horae partem aqua frigida large perfundatur, tum panno laneo caute abstersus, in cubili calefacto collocetur. Quo facto aegrotus mire se levatum sentiet; exanthema mox erumpere, rubescere, cutis turgescere, pulsus

turbatus sedari solet. Quae quidem in meliorem statum commutatio, quum paucas tantummodo horas consistat, tum iterum iterumque perfusiones faciendae sunt, donec morbus ad formam simpliciorem redactus fuerit, quod ex meliori aegroti valetudine, ex cuticula turgescente, calida et minime ardente, ex pulsu minus accelerato et pleniore intelligimus.

Ubi et cutis frigidula et pulsus debilis ac filiformis et exanthema hac illac lividum est, infusiones tepidae, per os vero remedia cutem excitantia, uti ammonium aceticum, camphora etc. adhibenda. Nimirum aegrotus in balnearum solio insidens per decem temporis momenta aqua ad triginta tres gradus scalae R. calefacta ex octo vel decem pedum altitudine superfusus, deinde accurate abstersus in lecto collocetur. Exanthema floridum evolutum in cuti retinendum; febris irritationes perseverantes moderandae. In febre erethico curatio quae antea commemorata; ubi autem febris ad putrescentiam inclinat, acida remedia porrigenda sunt, praesertim acidum muriaticum

large cum vehiculis mucilaginosis conjunctum. Aegrotus per morbi cursum in lecto maneat. In ea forma, qua ad florescentiam exanthema pervenire nequit, continuo cutis leniter irritetur acidi sulphurici diluti vel aceti lotionibus, quibus, ubi putrescentia exsistit, aliquid spiritus vini addendum, e. g. aqua vulneraria Thedenii; interne autem potiones tepidae ac remedia diaphoretica sumenda. Desquamationis stadio praesertim cavendum est, ne qua frigoris injuria aegrotus laedatur, quo fit, ut morbi illi secundarii, qui facile hoc tempore solent exoriri, avertantur.

Jam in extrema mea dissertatione facere non possum, quin sentiam, in Rubeolis, etsi formam ex scarlatina morbillisque hermaphroditicam exhibeant, illam tamen validius praedominari, tanquam partem in morbo gignendo foemininam: quae quidem conjectura et in febri praesertim erysipelacea ejusque forma, quam non solum rubeolae, sed scarlatina quoque ostendunt, principali, et in membranarum mucosarum atque exanthematis symptomatibus, quae saepius omnino scarlatinae, nun-

quam vero morbillorum prae se ferunt speciem; et in desquamationis ratione, quae semper eodem fere modo, ut in scarlatina, incedit; et in morbis denique secundariis, qui vulgo scarlatinae, raro vero morbillorum naturam sequi solent, innititur.

Vitae curriculum.

Ego Augustus Sträter, Rheinae, oppido Westfaliae, natus sum die decimo tertio M. Junii anni MDCCCX. Patrem B. Th. Sträter, mercatorem, matrem M. C. Schilgen, parentes carissimos veneror, quos superstites esse laetor. Ab anno aetatis duodecimo usque ad decimum sextum Progymnasium, quod oppido natali floret, tum gymnasium Monasteriensem per duos annos frequentavi, ibique examen maturitatis ad studia altiora superavi. Tempore autumnali anni MDCCCXXVIII ad almam Fridericam Guilelmam Rhenanam musarum sedem me contuli, ibique a rectore t. t. magnifico Cl. Heffter in numerum civium academicorum receptus et a Cl. Bischoff t. t. ordinis medicorum gratiosi de-

cano medicinae studiosis adscriptus, hasce per annum unuum et dimidium praelectiones audivi:

Cl. van Calcer de logice et psychologia; Cl. Mayer bis de anatomia generali et speciali; Cl. Weber de osteologia; Cl. de Münchow de physice experimentali; Cl. G. Bischoff de chemia; Cl. J. Müller de encyclopaedia et methodologia medicina, de physiologia et pathologia generali hominis; Cl. Goldfuss de Zoologia; Cl. Noeggerath de Mineralogia; Cl. Nees ab Esenbeck de Botanice; Cl. Mayer et Weber de arte rite cadavera secandi; Cl. E. Bischoff de materia medica. Examine philosophico superato, Bonnam dereliqui, et Heidelbergam me contuli; ibique Cl Chelium de ophthalmologia, chirurgia, de aciurgia et de instrumentis chirurgicis docentem audivi; Cl. Puchelt de pathologia et therapia speciali; Cl. Nägele de arte obstetricia et de operationibus artis obstetriciae; Cl. Tiedemann de anatomia pathologica; Cl. Breidenbach de fasciis chirurgicis applicandis; Cl. Dierbach de botanice pharmaceutica; itemque institutis clinicis medicinae, artis obstetriciae, chirurgiae et ophthalmologiae per annum unum et dimidium auscultans

et practicans adfui. Anno MDCCCXXXII mense Aprilis Heidelberga derelicta Herbipolin petii, ibique Cl. Schönlein de pathologia et therapia speciali et de interpretationibus clinicis medicis, Cl. d'Outrepont de interpretationibus clinicis obstetricis audivi. Postremo quarto decimo die m. Septembris a. c. gradum doctoris medicinae, chirurgiae artisque obstetriciae eximia cum laude assequutus sum.